



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Cur discipuli Christu[m] interrogârint, an cæcus peccârit, vt cæcus  
nasceretur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

etiam morbis facit. Quamquam non est putandum, morbos omnes in pœnam ab eo imitti, aut propter peccata illorum, qui morbis affliguntur. Extendit se enim gloria Numinis longè extra terminos iustitiæ & æquitatis, nimirum per omnia attributa illius.

II.  
Ioan. 9. 1.

Hinc prateriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit IESVS, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed ut manifestentur opera DEI in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me. Nimirum statim Christus, postquam, è templo egressus, Iudæos eum lapidare volentes euasit, diuinâ providentiâ, in cæcum illum incidit, eumque curauit, primùm, ut nouo eoque admodum insigni miraculo Iudæorum volentiũ eum lapidare duritiem emolliret; deinde, ut re ipsa, quod paulò antè Iudæis dixerat, confirmaret, scilicet, maiorem prioremque se esse Abrahamo. Nam etsi fortasse alij in oculis sanis aliquid passi sanari possunt, tamen qui cæcus natus est, is ab alio medico, quàm ab ipso auctore naturæ sanari non potest. Ergo ne nos quidem, ait S. Ambrosius, praterire debemus, quem praterendum Dominus non putauit, præsertim cùm à generatione cæcus fuerit, quod non otiosè est positum. Est enim cæcitas, qua plerumq; vitio agritudinis aciem obducit oculorum eademq; temporis spatio mitigatur. Est cæcitas, qua humorum infusione generatur. Ea quoq; vitio plerumq; sublato medicina arte depellitur; ut cognoscas, quia quod iste sanatur, qui à generatione cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus IESVS, quos nemo curaret. Ex magnitudine morbi, clara fit excellentia medici. Quia igitur Christus insanabiles corporum defectus curauit, manifestata sunt opera Dei in illo; per quæ opera potentia & diuinitas eius innotuit. Adeò sanè per hoc opus cæcus illuminatus est, ut ipsam diuinitatis potentiam penetrans diceret: *A saculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Quis enim vmquam homini cæco nato visum dedit? Non enim eadem est ratio lippi, aut defoculi, quæ à natura cæcati.

S. Ambrosius  
epist. 75.

Ioan. 9. 32.

III,

Scire voles, quare Apostoli interrogarint: *Rabbi, quis peccauit,*



causis, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Siquidem nihil simile de alijs ægrotis interrogauerunt. D. Chrysoſtomus existimat eos, ex attenda Christi in hunc cæcum inspectione occasionem accepisse suspicandi, Christum aliquod peccatum vidisse, quod eius cæcitatē fuisset causa. Quoniam autem nullum peccatum post eius natiuitatem perpetratum causa esse potuit, ut cæcus nasceretur, videntur moti, ut quærerent, quis antè, quàm nasceretur, peccauerit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Poterant etiam quæstionis huius occasionem sumpsisse ex recenti historia paralytici curati, cui Christus dixerat: *Esce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Hinc enim iudicabant, omnibus hominibus, ob peccata, morbos euenire. Hac opinione concepta, cum facillè viderent, in alijs propria peccata esse causam morborum, quos patiuntur, de hoc, quem cæcum natum esse sciebant, interrogauerunt, ob cuiusnam peccatum, suumne, an parentum suorum cæcus natus esset?

S. Chrysoſt. hom. 55.

Ioan. 9. 14.

Sed de hac ipsa quæstione quæri potest: Cur interrogent, an ipse peccauerit cæcus, cum antè, quàm esset, peccare, adeoq; cæcitatē mereri non potuerit? quo modo igitur discipuli debilitates corporum referunt ad merita delictorum? vt S. Ambrosius loquitur. Respondet 1. Cyrillus, discipulos Iudæorum opinione imbutos putasse animas, ante corpora creatas, peccasse, & propter peccata in corpora detrusas, meliora, peioraq; pro merito cuiusque. Sed hæc responsio non est solida, quia Epiphanius accuratissimus harum rerum indagator, hunc errorem non Iudæorum vlli sectæ, verùm Origeni censet attribuendum. Theophylactus hoc somnium Philosophis, seu Platonis, seu Pythagoræis ascribit. Verosimile autem non est, Christi discipulos, litterarum rudes & piscatores, eo vel Iudæorum, vel Philosophorum errore fuisse ataminatos. Respondet 2. Leontius, discipulos Christi probè sciuisse, quòd cæcus priusquam nasceretur non quierit peccare; sed putasse DEVM futurorum præscium, voluisse, vt in futuro peccati ab eo perpetrandi pœnam cæcus nasceretur. Minus conuenit etiam hæc responsio; quia non solet diuina bonitas pœnam infligere, ante culpam. Est enim Dominus longanimis,

IV,

S. Ambr. ep. 75.  
S. Cyrill. in Græc. Cate-na.

Ll 2

& mult.